



2b. 15



04.

74

MELISMA NUPTIALE

*Ex penu D. Pauli depromptum, filo tenui contextum &*

SPONSIS ILLUSTRISSIMIS AC  
GENEROSISSIMIS,

D. GEORGIO  
RUDOLPHO IN SI-  
LESIA LEGNICENSIVM  
ET BREGENSIVM DUCI,

ET

D. SOPHIÆ ELISABETHÆ,  
PRINCIPI ANHALTINÆ, COMITI  
Ascaniæ, Dominiæ Servestæ & Bernburgi,

*DD. SS. Clementissimis.*

Cum COROLLARIO dicatum,

à

M. ZACHARIA WENNEMEYERO Ascanio,  
*in aula & Ecclesia Plotzkaviana Concionatore*

ANNO CHRISTI

georgi<sup>II</sup>s roDolph<sup>II</sup>s, et Sophia ELisabetha  
parent pares aMor<sup>I</sup>. (1614.)

HALÆ SAXONVM,

Typis exscripsit Christoph. Bismarcus,

DM 1614

//





*Eph. 5. v. 32.*

Mysterium hoc magnum est, dico de Christo  
& Ecclesia.



MELISMA ΓAMIKON.



Uid tædis scribam vestris, RUDOL-  
PHE GEORGI,  
Quem Brega agnoscit Legnitiumq;  
Ducem,

Slesia luxuriat cultis qua dives in arvis,  
Limitibus socians rura Polona suis?

Ducitur in thalamum generosa virago mariti,  
Quæ Patre Anhaltino Principe nata venit.

Principe, qui vegeta fratres ætate celebres  
Anteit, ac Dessæ splendida tecta colit.

Si spectes etiam genitricis nobile stemma,  
Dux ab Anhaltino stipite sponsus adest,

Quid scribam thalamo huic? mysteria calica pãdam,  
Quæ Christum inter sunt Christi adumq; gregem.

Christe fave, thalamies qui fautor & autor & au-  
Fœdere uti tanto nil nisi digna canam. (Æor,

Tu quoq; pertenuem, Princeps generose, laborem  
Clementi & munus suscipe quæso manu

i. Si cupit in socio juvenis vincla intima lecto  
Virginis, in cuius pectore letus ovet;

A 2

Non

Non sine dilecti placito Patris ambit amatam,  
Non id honestatis, juris at esse solet:  
Ergo nec æternus cœlesti sponsus ab ortu  
Consensu absq; Patris jus sociale parat.  
Nempe DEUS norat quacung; futura per orbem,  
A se formatum nomine re q; bonum.  
Non igitur latuit currente haud tempore Numen,  
Sic fore, ut in lapsu degeneraret homo,  
Archetypum referens æternum in imagine pulcra,  
Primitus, & solers scire bonum atq; malum.  
At Satan illecebris faciem mentitus & ora,  
Sepis, id esse bonum haud perpetuum esse dedit.  
A capite avulsum sibi glutine junxit amaro  
Humanum tristi in conditione genus.  
Gloria justitia cessit, Sapientia cessit,  
Inspirata prius, sancti itidemq; decus.  
Et fuga, conspectum renuens Dominiq; Deiq;  
Successit, tremulo & fæta timore sui.  
Et solium vitæ æternæ mors horrida adiuit  
Demergens homines sub Phlegethontis aquas.  
Omnia peccati plena, omnia plena doloris,  
Stirps qualis, talis facta propago fuit.  
Omnia consiliis vacua, auxiliantibus armis  
Cassa quoad miseros, sunt ibi visa DEO.

Ne

Ne tamen æternum tam plasma insigne periret,  
 Ceu fuit abjectus cum grege ab axe Satan:  
 Æternus Pater æterno sine origine Nato  
 Constituit sponsam consociare thoro,  
 Ex hominum lectam numero, nexuq; perenni  
 Conjunctam gratis, justicia atq; fide.  
 Non omnes pariter, primo de stirpitate nati,  
 Sed voluit quos ad regna redire Poli,  
 Hi sponsa veniunt titulo. Placita illa Parentis  
 Filius æterna pro bonitate probat,  
 Et sic consensu Patris Omnipotentis adaptat  
 Fædere selectam non pereunte sibi.

2. Dispare sorte tamen coeunt in vincula sponsus  
 Sponsa itidem. Res hæc tota stupenda venit.  
 Filius æterni est sponsus sine matre Parentis,  
 Sunt hujus vivi singula jura DEI.  
 Naturam illius spectans, justumq; ubiq;  
 Existens, omni Principioq; carens,  
 Liberè agens, tenui non constans corpore, morte  
 Cassum & cuncta tenens omnipotente manu.  
 Omnia sub pedibus sponsi subjecta videbis,  
 Quæ speciosa polo, quæ preciosa solo.  
 Huic sancti junctum est decus æternante cohesu  
 Hic splendore præit cuncta creata suo.

SPONSA sed æternis donis spoliata Draconis  
 Auspicio, nihil est sordida massa nisi.  
 Justiciæ nudata bonis, sanctiq; decoro,  
 Nuda genu, pectus nuda, itidemq; pedes.  
 Nuda per omnigenam carnem, carnisq; medullas  
 Nuda animam, morti mancipioq; data.  
 Huic quis in amplexum queso ruat? ecquis amore  
 Depereat? thalami quis sociamq; ferat? (hanc  
 Principe Patre satus fædam hanc ambire recusat,  
 Nauseat hanc mundi rege Parente satus.  
 Quid? quem divitiæ decorant ac stemma parentum,  
 Huic minimè dicet tu mihi sponsa places,  
 Ergò Patris motus placito, socioq; favore,  
 Filius hoc Flatu non reuente facit.  
 Et sibi de lapsis mortalibus eligit, aptat  
 Cui soli dicit tu mihi sola places.  
 Sicq; places, ut quam stabili complexus amore,  
 Ante soli starent quam rudimenta, fui:  
 Hanc etiam tali deinceps complectar amore,  
 Quem tollent animo secula nulla meo.  
 3. Verum qua cœunt, quæris, ratione modoq;  
 Spiritus æternus, massaq; facta luto?  
 Non benè conveniunt thalamoq; morantur in uno  
 Spiritus osse carens, osseq; visus homo.

Vera



Vera hæc sunt. Ideo primo quod sponsus ab ævo  
Extitit, hoc mansit, non variante DEO.  
Quod verò fuit haud, illud sibi junxit, in ævo  
Virgine natus homo, de genitore Deus.  
Ut selecta DEI placito æternante Parentis  
De sponsi possit dici ossa, caro.  
O rem mirandam! mirando fœdere juncta est  
Invicta carnis languida massa DEO.  
Sic procedit opus, summo sic æthere nato  
Ob carnis nexum jungitur ægra caro.  
4. Dein pater antiqua virtute fideq; verendus  
Unam uni nato dat sociatq; nurum.  
Non binas, casto divine legis amore:  
Constituunt licitum corpora bina thorum.  
Sic placuit SUMMO, æternis natalibus orto  
Sponsam unam nato consociare suo.  
Illa quidem membris variis, variisq; coacta est  
Corporibus, variis temporibusq; fuit:  
Ast unum corpus facit, & sponsam efficit unam  
Credentum in mundi limine sine chorus.  
Hæc uni selecta Patri: conjuncta quoq; uni  
Filio, & æterni Pneumatis acta sono,  
Sanguine nixa sui est sponsi, flagrisq; cruentis,  
Ducta DEI verbo nec dubitante fide.

Hoc

Hoc fidei sponso fuit ac est glutine juncta,  
Ut spe jam teneat regna beata poli.  
Nomine solius sponsi meritoq; superbit,  
Nomine non alio, non alio vè proco.  
Hanc amat, hanc sponsus fovet & regit atq; tuetur  
Margarin hanc sinit, hanc corculum & esse suum.  
Non alio incertis defertur amoribus: uni  
Huic & in æternum junctus amore placet.  
Ast alios homines fidei sine lege vagantes  
Deserit, & Satanae mancipia esse sinit.  
5. Sed ne justiciæ subsellia calica turbet  
Injustumq; Deum dicit esse Draco:  
Se quia projiciat flammantis ad antra cohiberi,  
Contra hominem relocet promptus in astra Poli:  
Sponsus amore suæ sponsæ permotus, id omne  
Quod sponsæ fuerat jussit inesse sibi.  
Sordida sponsa fuit, peccati sordibus ipse  
Se plenum statuit judicis ante thronum.  
Nec tantum statuit, verum illud & omne subiivit  
Quo purganda omni crimine sponsa fuit.  
Judicio Patris sic pertractatur acerbè, ut  
Stillarent succo singula membra rubro,  
Hos latices adhibens sponsam defecat amatam,  
Ut careat macula & ruga abeunte procus.

Quin

Quin & iusticiæ vestem circumdat honestam,  
 Ut nil quàm justam censeat esse Pater.  
 Et captiva fuit nullo redimenda vel auri  
 Pondere, iusticia has dia recusat opes:  
 Ipse igitur totus tam corpore vulnera passus  
 Quàm ponens animam se dedit esse λύτρον.  
 6. Et quia natura non vis interfuit agra,  
 Istud ut æternum sponsa probaret opus;  
 Idcirco sponsus primo compulsus amore  
 Æterni flatus munera viva dedit.  
 Ut selecta sibi sponsa annuat, integra dicat,  
 Tu mihi, nate DEI, tu mihi sponsus eris.  
 Emundor per te vitiis scateo quibus, & per  
 Te statutor Patris iusta, probata throno.  
 Tu meus unus eris, mea spes, mea cura, meum cor,  
 Una tibi vivam commoriar q̄ tibi.  
 Sum persuasa, nihil fore quod nos separet, aliter  
 Sive polum aspicias, aspicias ve solum,  
 7. Nam me protractam mundi de fecibus unam  
 Fuisti in sanctà vivere & esse domo.  
 Cui tu non terra congestus es aggere murus.  
 Non moles fossis in via, tuta freto.  
 In via virtuti nulla est via, nulla proinde  
 Mœnia consistunt hoc & in orbe diu.

B

Si

Si lateri in castris latus hæret, itemq; viro vir,  
 Et pede pes, fatum & fata boarda vomit.  
 Et si suffodiendo agitur res pulvere nitri,  
 (Quid uon sensa hominum, tanta vel ausa queunt)  
 Et vallum & turres compactaq; mœnia calce,  
 In fundamenti mole agitata ruunt.  
 Ista domus, quam per te, mi sponse, incola sponsa,  
 Mœnibus ignitis te faciente micat.  
 Quin & ab aligerum cœlestum est cincta cohorte,  
 Lædere qui volet hanc, vivus abire nequit.  
 8. Sed nec conjugio sociatis vincula rupit,  
 Non nisi consilio prædominante Deus.  
 Quos voluit junctos animis & corporum adbasu,  
 Ut duo sint gemini corporis una caro:  
 Hos nec dissociet multis ex millibus unus:  
 Disjunctos junctos non jubet esse Deus,  
 Quam diu uterq; trahit mortali in corpore vitam.  
 Conjugij vinculum mors violenta secat.  
 Hic verò dictas mihi quid mea Musa? quod ævo  
 Non currente datum est, ævo abeunte ratum est.  
 Quos Satanas avulsit atrox, odio ater & ira,  
 Ac Erebi voluit consociare rogis:  
 Hos sibi conjunxit cœlesti sponsus ab arce,  
 Fædere, non ullo prætereunte die.

Ante

Ante Draco repetet cœlestia regna relictis  
Inferni lacubus sulphureisq; locis :  
Quam gens lecta Deo, Christi q; cruore redempta,  
Et posita in Patris glorificanda sinum,  
Sponsa unita DEI nato, capitiq; suorum  
Excidat, & sponso non sit amata suo.  
Quæ fidei nexu fragili junguntur in orbe,  
Æterna in Patria consociata manent.

9. Non tamen à sponsa temerarius abstinet hostis,  
Sed quacunq; potest parte vel arte nocet.  
Circuit insidias omnes meditatus & artes,  
Errantem inveniens ut voret ore dapem.  
Circuit ac avidis oculis sibi queritat agnum  
Sanguine conspersum, Christe benigne, tuo.  
Ast tu per vigilans noctuq; dieq; nec agrum  
Vel summè, & minimum non sinis esse tuum.  
Hunc dedit esse tuum Pater : hunc tu sanguine sancto  
Signasti, faciens are probante tuum.  
Hunc tu voce tua, flatu aspirante, vocasti,  
Hunc nosti, vis hunc perpetuò esse tuum.  
Felix sponsa suo sponso, qua leta triumphat ;  
Terra tremat, cœlum contonet, unda furat :  
Evomat attractum Draco, tartaraq; infera virus,  
Et mundus quicquid cuncta per arva coquit.

Quid te sponse movent hæc omnia fulmina? sponsam  
Quid moveat? IRA EST VIRIBUS absq; NIHIL.  
Te penes imperium est cœli, tibi cuncta potestas  
Tradita, nec vis, te quæ superare queat,  
Sub pedibus styx atra jacet, satanaq; cohortes,  
Signaq; Pontificum & spinea signa ducum.  
Est præfixa dolis sua meta: potentia mundi  
Crudelis per te limite clausa suo est.  
Consiliis in bias tacitis ac abdita tandem  
Eruis, in fumum ut fautor & autor eant.  
Sponse fave sponsa. Quæ nunc sunt tempora nosti,  
Quæ techne, quæ vis, omnia nota tibi.  
Brachia Pontificum dextra confringe potenti  
Fortiter & sponsam sponse tuere tuam.  
In te, sponse, tuæ sponsæ spes tota recumbit,  
Non igitur circumfusa rubore cadet.  
i. Quin etiam Satanas, sponsi infensissimus hostis  
In thalamum sponsam hanc pellicit arte suum.  
Non nigra incedit facie, fabricisq; nocendi  
Conspicuus, sed nec mortifera arma gerit.  
Angelicum mentitur opus, mentitur & artem  
Certius ut noceat marte vel arte piis.  
Scripturam allegat, scriptis contentaq; sacris.  
Felle satur mellis dulcia pocla gerit,

Sed

Sed tu, Christe, strophas, nugas q̄, logos q̄, proteruos  
 Detegis, ut videat sponsa decora dolos.  
 Est Deus est & homo persona Christus in una,  
 Nunc scribunt: unum hoc findere nemo potest.  
 In λόγον asscita est σάρξ hic & ubiq̄ colendum,  
 Ergò ibi sumt a caro est, est ubicunq̄ λόγος.  
 Hæc illi, sed tu, mi sponse quid ingeris, & quid  
 Credendum suades, sponsa misella, precor:  
 In mundum quando peperit me virgo Maria,  
 Mater, & in caula me videt esse suum.  
 Esse suum ex utero genitum: Præsepe bovinum,  
 Cunnarum vice mî, mî fuit atque loco.  
 Quando comes matri Solymam ducebar ad urbem,  
 In templo invenit mater, ubiq̄ minus.  
 Victima cum fierem pro te maledictus in ara,  
 Erecta, certè non & ubiq̄ fui.  
 Corpore ubiq̄ fui quercu crucifixus in alta?  
 Et Romæ, prisca & noctuæ in urbe simul?  
 Haud dico, haud cuiquam dicenti talia pleno  
 Guttore, sponsa, fidem, quæ mihi credis, habe.  
 In cruce suspensus pro te lugubre cadaver  
 Et vermis, mundo ludibrium q̄, fui.  
 Et tamen æternum constans natura per ortum,  
 Ac assumpta caro consociata fuit.

Qua Deus in cœlo, in terris & ubiq; locorum  
Qua caro, conspicua in sede locoq; , fui.  
Ex morte exurgens mortis contritor & orci  
Effero de tumulo corporis ossa mei.  
Hæc lustranda meis & contrectanda ministris  
Exhibeo, sic ME, non alium esse probo.  
Cœlestem fateor carni exhibuisse decorem,  
Naturam vero non tenuasse suam.  
Quæ tibi, sponsa, forent solatia fixa gravata,  
Nicaeo pressa solo: sit speciosa polo!  
Sit preciosa polo tituli non nomine, sed re:  
Qui cecidit pro te ex morte resurgit homo.  
Atque per aërias subvectus ad æthera nubes  
Ad dextram Patris jus tenet omne Poli,  
In terris quod si mihi nunc etiam ire liberet,  
Pontificis possem quæ retinere vices?  
Et si summa dies sig; ultima judicis hora,  
Venerit, è cœlis non aliunde ferar.  
Et tu conformis specioso corpore carni  
Ut sis efficiam glorificata mea.  
Hæc mea scripta docent, æterni flaminis aura  
Inspirata: secus quod sonat, esto nihil.  
Ergò tibi valeant rationis somnia, duci  
Non alio vè rapi te per ubique sinas.

Quod



Quod verbum factum caro, vitaq; mortua, mirum  
Sed tibi si credis, vita perennis erit. (est:

ii. Conjugium nullum hinc agitur tam legibus aequis,  
Ut non interdum turbidus erret amor.

Sint licet à Christi supera virtute renati,  
Corda tamen cecis motibus acta gerunt.

Fida marita thori socium, sociam ipse maritus  
Turbat, & à navis non thorus ullus abest.

Ergò onus alterius fert alter, discere mores  
Noscit, & equo animo fata ferenda subit.

Sic etsi hic sponsus macula sit liber, & omni  
Defectu, & stet huic integritatis honor:

Sponsa tamen sponsi numerum perfecta per omnem  
Non abit, hinc vita dum trahit agra colum.

Lege suæ mentis novit facienda, probat q;  
Lege suæ carnis sed fugienda facit.

Bella gerunt inter sese durantia vitæ  
Temporibus, sponse spiritus atq; caro.

Quis tibi tunc est sponse animus? qua sponsa volutas  
Sensa, mali tantum cum tibi inesse vides?

Hæc, sponsa, est, mea spes, ait, hæc solatia cordi,  
Quod sponsi superat nil bonitatis opes.

Improbat haud reprobat vitis navis q; scatentem,  
Arguit, errantemq; ad sua stepta vocat.

Et

Et licet offensus lapsis gravioribus ora  
Abdit & a versus lumina clausa gerit:  
Non tamen aeternum, quo me est complexus, amorem  
Exiit, aeternum haud ejus & ira furit.  
Ira est momenti: Longissima gratia: sponsi  
Gratia sine suo principioq; caret.  
Id mihi curandum est, hac ne rationis abutar  
Impete, ne carnis raptu agitata ferar.  
Absit id ut faciam. Si labor, lapsa resurgo,  
Si maculor maculas sanguine purgo novas.  
Purgo fide properans precibusq; ad vulnera sponsi,  
Sic maculis quaerens tegmina nota meis.  
Sponse preces, sponse gemitus, suspiria nosti,  
Nosti animum, vota hac qui videt atque preces.  
Non ad judicij sponsam trabe, sponse, tribunal  
Ni me, ni pessum funditus ire velis.  
Aeternum ne te complexibus abstrabe nostris,  
Ecce subinde cado, sed tibi, sponse, cado.  
Tu potis & promptus lapsae instaurare ruinam:  
Quod captum, fac uti perficiatur opus.  
Sic ego. Sed quid tu regeris, sponse optime, sponse,  
Sic ut & intra animum vox penetrantis eat:  
Ut sobolis mater nequaquam obliviam potat,  
Illicet faciem sordidaq; ora gerat:

Non

Non illam usq<sup>3</sup> adeò plagis castigat amaris  
Amplius ut queat haud vivere & esse super.  
Maternum semper retinetq<sup>3</sup> fovetq<sup>3</sup> favorem,  
Nil soboli mater quàm placita esse cupit:  
Sic & sponsa, tuæ non obliviscar amata,  
Sit licet in præceps lapsa aliquando ruas.  
Quantumvis macula nevis variantibus atræ  
Sordida sis summi judicis ante thronum:  
Non tamen abijciam te, non divorcia justus  
Instituam, sordes nec superesse sinam.  
Te laevi semel & purgatam sanguine feci.  
Et deinceps faciam ut sis preciosa meo.  
Fide modo & lapsus tristes fuge, lapsa resurge,  
Lapsibus & veniam lapsa precare tuis.  
12 Deniq<sup>3</sup> sponsa terit fragilem hinc vitamq<sup>3</sup> caducam  
Vixq<sup>3</sup> stat incerto constabilita loco.  
Exul erat sponsus, comitem sponsam exulis hujus  
Esse decet, fato sic statuente DEI.  
Sed non ob meritum sponsus fuit exul in orbe,  
Sponsa ut serviret tale subivit onus.  
Conformari igitur passo mala plurima sponso  
Convenit, exilio sit sociata comes.  
Rectè equidem. Neq<sup>3</sup> enim hinc patriam certam atq<sup>3</sup>  
In fragili nec huic orbe paravit opes. (manente,

C

In

In cælo polite vna manet, manet ultima cælo  
Patria, diuinis condecorata bonis.  
Hic tibi sponsa quies, hic pax, hic aurea regna,  
Hic thorus, æterni hic aula cubilis erit.  
Exulat hic luctus dolor & labor exulat omnis.  
Hic morti & Satanae nec locus ullus erit.  
Hæc modo sufficiant, mysteria pandere summa  
Institui: feci quod potuisse datum est.  
Te, dux sponse, precor diuinis edita scriptis  
Ut sint grata tibi, quæ per arata mihi.  
In mundo præclara tenes natalia: Christo  
Sed junctum, magne est Principis omne decus.  
Christo, inquam, nobis quem verbi oracula monstrant  
De torta haud, sensu sed genuina suo.  
Quando ergo sponsam lustras & pascis ocellos,  
Inq; animæ condis viscera pura tuæ:  
Dic, mi Christe DEI fili, sic proruis in me  
In sponsam, qualis deferor ipse meam.  
Hæc mihi sponsa caro, nostris ex ossibus os est  
Integer haud quod nos separet, orbis habet.  
Ergo fave thalamo huic, nostro sis pronus amori.  
Ut tibi conjunctus vivat uterq; precor.  
A te divelli nec nos, nec conscia corda,  
Dum vitam trahimus Flatu agitante sinas.

COROL-

COROLLARIA

*Primum*

ANHALTUS CHRISTIANUS.

JOHANNES GEOR-  
GIUS.

J anua cœlorum cui aperta est , portaque vitæ  
O mnia per Christi vimque manumque potest.  
H æsitat haudquaquã in salebris, timidusq; resultat  
A llatrat VERUM cum malesana cohors.  
N aturam veræ fidei sic sentit, ut ipsi  
N octurnæ tenebræ non noceantque minæ.  
E loquio Christi, fonte Israël's amæno  
S ustentat regni non pereuntis opus.  
G rata DEO sentit, credit profitetur & ore  
E t nil quàm Christum pectore fortis amat.  
O mnia quæ mundus, mundi que superba coronat  
R egia, ceu nihi! & somnia vana putat.  
G naviter humano declinat nata cerebro,  
I n victus fidei justificantis ope  
U t q; triumphato perituris finibus orbe  
S e civem regni perpetuum esse studet.

C 2

CHRI.

# CHRISTIA- NUS.

**C**hristum adamo, Christi nomen gero, pectore ge-  
**H**ic animæ spes est delitiumque meæ. (sto,  
**R**egales adii, fateor, cum laude columnas,  
**I**n Turcæ porta fato agitante fui,  
**S**ectatus cupidè mavortia castra, triumphum  
**T**er celebrem globulo prætereunte tuli:  
**I**n te, Christe, tamen nostri fiducia cordis  
**A**nte hostem ac inter tela reposta fuit.  
**N**on alium mens nostra cupit clypeumq; ducẽq;  
**U**nus es auxilii fida columna mei,  
**S**ole mihi te Christe regor, te nubeq; obumbror,  
**U**t sit quod noceat nocte dieque nihil.

AUGU.



# AUGUSTUS.

**A**rdet amore tui mea mens, dulcissime IESU,

**U**na meæ vitæ spes, animæque Salus.

**G**ratia decreti æterni fundamine constans

**U**nitum tibi me fecit & esse tuum.

**S**anguine, Christe, tuo fretus cæli atria scando,

**T**eque tenens patri supplico, IUSTUS eo.

**U**num hoc perpetuum mihi sit: tibi fidere soli

**S**alvifico & verbo vivere, stare, mori.





# RUDOLPHUS.

**R**es hominum pereunt solido fundamine cassæ,

**U**na salus nobis sis, pie Christe, nisi.

**D**efinat humanum robur, roburque potentum

**O**ccidat, auxilium non tamen omne cadit.

**L**ampade divini fundis solatia verbi


**P**ercordis venas que penetranter eunt.

**H**inc mea spes, mea fors, mea pars æterna resultat,

**U**nicus hic vitæ portus & aura meæ est.

**S**uffice tu vires deinceps & Christe gubernas,

**U**t verbum fidei sit basis una meæ.



LUDO.





# LUDOVVICUS.

Lætetur mea mens, rebus non fūsa caducis,  
U nica quod Christus spes sit & aura mihi.  
D iligo salvificum, prolatum ex æthere, verbum,  
O mnis & in Christo cura reposta mihi est.  
V itam inspiravit mihi fons, arborque salutis  
V itam, quæ vitæ nomine digna venit.  
I n terris vita hæc non competit omnibus illi  
C ontingit, verbi cui datur alma fides.  
U nitus tibi sum per te maneoque fidelis,  
S um tibi membrum egomet, tu mihi **CHRISTE,**  
(caput.



COROL.



COROLLARIUM II.

SPONSIS ILLUSTRIBUS

**S**ponse tibi primæ, cedunt tibi, Sponsa, secunde  
Jure DEI, partes curet uterq, suas.  
Laus & jus CONJUGII non sine voto.



Grata DEO pietas sociali debita lecto,  
Sanctus & ad cunctos sit sine labe thorus.  
Extra conjugii leges & jura vagantes  
Omnipotens gladii vi perimente ferit.  
Ordo hic est primus, mundi quem sancit autor,  
Pacificæ quem vult laudis honore coli.  
Rara fides certo vitam sine compare agenti,  
Hæc non ni Christo casta juvante manet.  
Grata DEO ac homini communio sancta duorum,  
In qua nemo satis se didicisse putet.  
Innumeris commixta malis sunt dulcia, quæ vel  
Auro mutari nec radiante queunt.  
Una quies tristi dulcisque diæta marito est  
Ex fato in thalamum quæ pia Sponsa venit.  
Spes innixa DEO sociatos jure jugali  
Luxare haud sortis fata per atra finit.

Respi-

Respiciat thalami faciens sua munia, patrem,  
Inque ejus curas ponat uterque sinum.  
Omne tulit punctum, dulci qui pensat amara,  
Seriaque & licitis miscet honesta jocis.  
Dante, juvante Deo nunc aspera mollia fiunt,  
Semper & in dubiis statque viretque fides.  
Omnia vincit amor, fato inspiratus Olympi,  
Ante hominum faciem purus & ante DEUM.  
Læticia resonet thalamus, sit pace decorus,  
Barbara tecta petant barbara nata domi.  
Principium, medium cursusque tenore sub uno  
Exeat, extra oleæ limina neuter eat.  
Haud tamen hora omnis currit sic, fumus ut absit;  
Tristia qui validè ferre scit, ille sapit.  
Unanimes semper consistant pectore juncti,  
Hoc facto, quid non pectora juncta valent!  
Sponsus erit Sponsæ decus & solamen in arctis,  
At Sponsa in thalamo dulce levamen erit.

~~~~~  
IN ILLUSTRIS. SPONS.  
nomina illustra.

**R**ulricolis faveat Sponsus, re consulat ipsa:  
Sponsa DEO sapiens tuta quiete DEI est.

D

CON-

CONCLUSIO.

**H**Æc exaravi consenescens carmina  
Decem duoque lustra natus additis  
Annis tribus. Laus sit DEO, sit gloria.  
Hic me vocatum patriæ scholæ meæ  
Paucas aristas esse iussit usui.

Dein consecravim almi ANNALTI Ecclesiæ,  
Sex quinques septemque, mensibus suis  
Sol luxit annos, vineæ huic dum servio.  
Non livor & odium abfuit, non scommata,  
Calumniarum plaustra, non vis hostica  
Vitam petens docentis haud verum nisi.  
Vivo tamen per sempiternam gratiam  
Domini mei, cui servii, cui servio,  
Cui serviam calamo, oreque imperterritus  
Hosce titubantes rexit dum Spiritus  
Artus mihi. Fave deinceps optime  
Iesu Pater, meoque vires pectori  
Per spiritum tuum potenter suffice,

Vt

Ut te tuumque nomen unicè sonem,  
Verbum tuumque prædicem sententia  
Constante sibi per singulos fidei locos,  
Quod si meæ præordinatus terminus  
Vitæ advenit, ne deseras. Non deseres  
Servum Dominus, & palmitem vitis tuum,  
Membrum, tibi capiti cohærens glutine  
Non terreo sed cælico per Spiritum.  
Huc transferendum me scio certissimè  
Ubi gloriosè tu caput, D E U S & homo,  
Regnum tenes in gloria atque gaudio,  
Quæ finient nec sempiterna secula.  
Fidei favillam fumigantem haud supprime,  
Ad teque anhelum spiritum suscipe meum  
Fatalis hora quando vitæ advenerit,

F I N I S.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in approximately 12 horizontal lines within a rectangular border.



Ja 666

ULB Halle 3  
002 177 021



5b-700

Von 7

MC









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

TIALE  
tenui contextum &  
ISSIMIS AC  
IMIS,  
RGIO  
D IN SI-  
CENSIUM  
M DUCI,  
ABETHÆ,  
NÆ, COMITI  
e & Bernburgi,  
timis.  
dicatum,  
MEYERO Ascanio,  
a Concionatore  
ISTI  
Sopha & Isabetha  
morl. (1614.)  
NUM,  
h. Bismarcus,

74

04.